

**Tripes Heitersbacensis cujus primam considerationem
historico-dogmaticam / ... defendendam sumsit. Christoph. Fridericus
Liesching.**

Contributors

Liesching, Christoph Friedrich.
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Litteris Bauhof-et Franckianis, [1755]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cr2u9zs9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2
TRIPE
HEITERSBACENSIS,

CUJUS PRIMAM
CONSIDERATIONEM HISTORICO-
DOGMATICAM,

P R A E S I D E

GEORGIO FRIDERICO
SIGWART,

PHILOS. ET MEDIC. DOCT.

CHIRURG. ET ANATOMIÆ PROF. PUBL. ORD.

FACULTATIS MEDICÆ SENIORE,

p. t. UNIVERSITATIS RECTORE,

PRO GRADU DOCTORIS MEDICINÆ


RITE CAPESSENDO,

PUBLICICE DEFENDENDAM SUMSIT

CHRISTOPH. FRIDERICUS LIESCHING,

NURTTINGENSIS.

AD DIEM NOVEMBRIS MDCCLV.



TUBINGÆ,

LITTERIS BAUHOF - ET FRANCKIANIS.

*
* *
* * * *

Multa esse videntur, quæ non sunt,
& sunt, quæ non videntur, &, quæ
sunt, ut sunt, non esse videntur
Monstra; Nam:

* * * *

Nonne vides incompositas aliquando figuras
Deptingi plana in Tabula; nec forma, nec ordo est.
Nec sibi respondent partes, temere omnis in arcum
Linea curvari, seriem nec habere putatur:
Levis at in medio steterit cum fortè Cylindrus
Tunc tetram in faciem confusos arte colores
Colligit, & vultus reddunt vaga MONSTRA decoros.

ANTILUCRETIVS L. IX. n. 783 - 789.



PRÆFATIO.



Accipe , L. B. duobus totam,
quam ad TE habeo , præfa-
tionem ; *unum* est , quo de
essentia alicujus Scripti non esse Præ-
fationem ; *alterum* , quo me præter-
ea nullam habere hac vice aliam , eo
ipso non esse , quod deprecet , TE
scire volo ficque valere jubeo.



PRÆCOGNOSCENDA.

§. I.

Facili, in quem binæ de *Corde humano veri nominis Antlia hydraulica* deque *Antagonismo fibræ ejus musculosis imputato* proxime ventilatæ *Dissertationes* trahebant, idearum nexu, alia de eadem corporis nostri machina, adeo excellenti, jamjam meditatus sum, cum accidit, primâ videre vice insolentem corporis humani fabricam, cujus iconem hic affixam conspicias. Dicaveram nempe huic labori academico, academicis nostris expediendo feriis, (alio enim tempore aliis occupato mihi multò minus feriari hætenus licuit) vexatissimam istam, ac tot tantisque ambiguitatibus à Physico - Anatomicis agitatam de distantia apicis cordis ab ipsius basi quæstionem, ex indubiis & evidentioribus, ac hucusque factum est, principiis demonstraturus, nobilissimam hanc corporis nostri machinam sub motu suo systaltico abbreviari neutiquam, verùm certissime elongari, & contrarium utrinque sub motu ejus obtinere diastaltico. Hôc animi decretô detentus ecce! plebeja in museum intrat, suamque mihi aliisque unâ præsentibus naturæ curiosis Philiatris offert infantulam, tertiô præter naturæ consuetudinem pede plus deformatam dicamne? an potius impeditam, supernumerario hoc onere? Quô visô, priori mox mutatô consiliô, prius non potui non habere hoc considerationis nostræ objectum.

§. 2. Erit autem objecti hujus (§. I.) *consideratio* non solum *historica*, sed & *dogmatica*. Utroque enim modô, qualecunque naturæ factum potest & meretur expendi. Partitô labore hanc adgredi jubemur considerationem. Primam ejus particulam præsens sistit dissertatio. Alteram aliâ communicabimus occasione. Brevis erit & succincta hæc omnis disquisitio. Id enim partim res ipsa, partim instituti ratio, arbitratui



bitratui nostro inculpabili relinquenda, postulat. Idem exacte innuit hujus operis inscriptio. En! *thematis determinationem*, cui itaque adæquate, ut decet, respondet *titulus*. Determinatis hisce limitibus subsequens circumscribitur *tractatio*.

§. 3. Monstrosos partus, (monstrum autem esse præsentem (§. 1.), infra demonstrabitur) præsertim humanos, ad cognitionis nostræ profectus multum prodesse, nemo non largitur facile. In historia vero naturali is maxime, qui de monstris agit, articulus, velut monstruosus est nævisque undique laborans & innumeris narratiunculis incertis fabulisque conspurcatus. Hic itaque habemus exemplum, quo iste augetur, fide dignissimum. Præterea monstrorum considerationes dogmaticas monstrosis sæpe niti principiis, pariter manifestum est. Expediet igitur meliora in hac re suppeditare. Uterque vero hujus disquisitionis *usus specialior* in specialiori succedente doctrina determinatiùs erit expendendus. *Communes* hic maxime expendamus.

§. 4. *Usus*, quos *communes* habet (§. 3.) utraque hujus tripedis (§. 2.) consideratio, sunt varii, variâ ratione commendabiles. Monstrorum spectacula &, quæ ab istis excitari possunt, intimiores speculationes non modo, quod tamen etiam non nihil est, *novitatis gratiâ* sese commendant, sed & multa ut plurimum continent multiplicis *veritatis semina*, *pietatis* maxime. Monstra, repeto, se nobis monstrant haud frustra, quod ipsomet suo jam innuunt nomine; monstrant sane haud raro, quod nunquam monstratæ fuissent consuetæ fabricæ. Nobis igitur monstrata aliis quoque monstranda sunt.

§. 5. Primum & omnium foecundissimum pietatis semen, (§. 4.) quod altissimas in mente tua agat radices, procul dubio est corporis tui conformitas, quacum præ hoc aliisque deformatis in lucem hanc editus es publicam. Aspice corporis tui concinnam staturam, artus tam pulchre effigiatos,



tos & in quibus nil deficit, nil abundat, quod te in muniis tuis obeundis possit impedire; conspicio pedes tuos, quibus erectus stare potes & incedere non præpeditus, bene pedatus. Cogitato te non valgum, non vatium, non plautum, non loripedem, non tripedem esse. Dehinc ad te tuos convertito oculos, non rotantis pavonis imitamentò, sed in pedes tuos projectus. Summæ id acceptum referto providentiæ. Tum, erectò animò in viis Domini tibi incedendum pedesque tuos in istis regendos & dirigendos esse, judicato. Jam, à te paululum averfus, ad nostram respicito tripedem, demissâque mente perpendito, quì factum, ut ista te deformior fuerit nata? quæ tua præ illius conditione prærogativa? Nullam, confido, poteris allegare. Si nullam habes, quâ te possis præferre, rationem, dic quæso denique: quis peccaverit? num hæc? an vero ipsius Parentes?

§. 6. Verum hisce (§. 5.) non modo, sed & multis aliis meditationibus, *theologicis* atque *juridicis*, utilem occasionem præbere possunt monstrorum historiæ. Etenim, ut in Theologia, ita quoque in *Jurisprudencia medica*, æque ac in *Medicina forensi*, ab ista omnino distincta, magnæ multæque de monstris agitantur controversiæ. Nec nullus ejusmodi considerationum est *usus physico-philosophicus*, in doctrina de rerum origine & speciatim animalium generatione conspicuus, quibus denique addo *usum medicum*. Ita auxilium pro misera hac sua (§. 1.) tripede petiit afflicta ipsius mater, & ob paupertatis rationem, illam ad labores pro pane lucrando non aptam fore, conquerens. Expedit igitur disquirere: an & quænam hic sit auxilii spes? Prætereo reliquos hujus considerationis *usus*, quos infra dicenda suò (§. 3.) docebunt locò.

§. 7. Brevioribus proponenda (§. 2.) expedire jubeor, aliis interpellatus negotiis. Haud igitur multa fusiorque rerum *analysis* hic expectanda est. Neque eam postulant historica. Quæ vero his subjungam dogmatica, ea alibi possunt enucleatius expendi.

expendi. In eo tamen semper ero totus, ut neque dicendorum distinctioni, neque eorum ordini, plus, quam par est, præfixa detrahat brevitās. Præterea de *methodo* nil habeo, quod addam.

§. 8. Determinatis itaque *thematis* limitibus (§. 2.), *usu* (§. 3-6.) *methodo* (§. 7.), superest dicendorum *partitio*, in *præcognoscendis* his adhuc indicanda. vid. Pantom. Erud. §. 8-11. *Objectum* considerationis præsentis partim *historicum*, partim *dogmaticum*, esse supra (§. 2.) indicatum est. Dehinc in *duas partes* præcipuas tota resolvitur reliqua *tractatio*, quarum *una* tradet historiam infantis tripedis, *altera* vero proponet quæstiones quasdam dogmaticas cum ista connexas. Istam hac esse priorem sponte patet. Præmittitur itaque, quam pro objecto habet

PARS I.

HISTORIA INFANTIS TRIPEDIS.

§. 9. *Historica cognitio* est cognitio entium secundum eorum existentiam, qua talem; *dogmatica* autem est cognitio entium secundum eorum possibilitatem, qua talem. Haud igitur omnis cognitio, quæ circa entium versatur existentiam, ut vulgo putant, est *historica*, licet omnis *historica cognitio* sit cognitio entium secundum eorum existentiam. Propositio hæc non est convertibilis. Ita versabimur hic circa existentiam dictæ tripedis, qua talem, hoc est, circa ejus *cognitionem historicam*. Versabimur vero etiam circa idem existens, non qua tale, sed alio modô. Differunt sane, & cognitio existentium, & cognitio existentium, qua talium, & cognitio possibilitatis existentium, & cognitio denique veritatis existentium, qua talium, quas notiones vulgo non discernunt veram *artem analyticam* vel ignorantes vel contemnentes.

§. 10.



§. 10. Inde (§. 9.) quoque videre est, *cognitioni historica* minus apte opponi *philosophicam*, quum revera ipsa quoque *historica* possit esse *philosophica*. *Historia philosophica* idem agnoscit fundamentum, quo nititur scientia dogmatica; Nil enim est sine ratione sufficiente, neque in existentibus, quæ talibus, neque alio modo consideratis, neque in naturæ, neque in hominum, sapientum Principumque factis. Eequæ major esse potest certitudo, quam quæ fide nititur oculata? quæ major certitudinis firmitas eâ, quam à propria interne æque ac externe habemus experientia, sensuumque testimonio. Sensus enim fallere iis tantum videntur, quos iudicium fallit, quique eodem alios fallunt.

§. 11. Existencia quidem (§. 10.) *contingentia*, quæ talia, plenâ demonstrari nequeunt certitudine, eorum enim negatio vi definitionis est possibilis, ob quam negationis possibilitatem opponuntur *necessariis*. Hoc igitur respectu vel ad *probabilia*, vel ad credenda, seu pro fide assumenda, pertinent.

§. 12. *Fides*, ob nexus necessitatem, qui inter fidem habentes, & eos, quibus fides est habenda, intercedere debet, duplici vulgo sumitur significatu, morali nempe, & logicô, unde perbene Germani adeo frequenter combinare solent terminos *Treu und Glauben*. Prior sensus voluntatem attingit, posterior intellectum. *Fides* nempe *logice sumta* est intellectus operatio, quæ asserto alterius assensus præbetur. *Assensus* autem est ipsa de eo, quod alio modo non scitur, certitudo ob assertionem alterius; Hæc igitur fides neutiquam ad voluntatem potest referri. Tantum abest, ut cum quibusdam fides dividi possit in fidem, quæ est in voluntate, & in fidem, quæ est in intellectu, ut hæc distinctio potius plane sit absurda.

§. 13. A fide (§. 12.) discernenda est *fiducia*, hæc proprie illius, logice sumtæ, est constitutivum, & nil aliud dicit, quam iudicium de veracitate assertoris, ob quam assertioni assertoque
ejus




ejus tribuimus veritatem; Quare hōc pariter sensu absona est fidei dicta distinctio, vel divisio. Sin autem *fiducia* involvat respectum ad voluntatem, tum ista fidei erit consecutivum materiale illius objectum respiciens.

§. 14. Præterea (§. 13.) in fide neque ejus, cui assensum præbemus, ulla est *experientia*, neque asserti ipsius ulla *scientia*. Illa enim, subjective sumpta, est operatio sensus, seu facultatis cognoscitivæ, quatenus ea, quæ vel in- vel externe nobis sunt præsentia, sine fictione animadvertimus; hæc vero est operatio intellectus, qua legitime ratiocinamur. Quatenus vero alterius assentimus asserto, eatenus id, quod assertitur, neque experimur, neque de isto ratiocinamur. Errant itaque, qui in fide ejus, quod assertitur, quod per assensum assument credentes, vel experientiam, vel scientiam, habere autumant.

§. 15. Nec tamen dictis (§. 13, 14.) erroribus inferiorem errant errorem, qui fidem ab omni alienam esse putant scientia. Reapse quoque datur *fides scientifica*. En! priori non inferius paradoxon, non heterodoxon. Accipe hujus quoque rationem. Aliud profecto est ejus, quod assertitur, aliud assertionis scientia. Si quidem nil est sine ratione, nec fides sine ista poterit concipi; Nemo sane sine omni ullius assertioni assentire censendus est ratione.

§. 16. Sed (§. 15.) ratio, ob quam quis alterius annuit assertioni est vel sufficiens, vel non sufficiens. Hōc fundamentō nititur præcipua omnis *fidei varietas*, & ab hac isti superstruenda adæquata divisio, quam juxta omnis *fides* est: vel *cæca*, vel *oculata*, utrinque apte dicta, à qua posteriori eadem aptitudine *testis* dicitur *oculatus*, hoc est, is, qui propriis velut oculis videns, vel mentis, vel corporis, ex propria testatur experientia, cui opponitur *auritus*, qui est testis, qui ab auditione, ab aliena experientia, suum fert testimonium. *Fides* itaque *oculata* est fides, quæ sufficientibus suffulta, *cæca* autem, quæ sufficientibus destituta est rationibus.



§. 17. Cognitio, quæ sufficientibus suffulcitur rationibus, scientiæ characterem induit. Nonne igitur (§. 16.) *oculata fides*, sufficientibus stabilita rationibus, est *scientifica*, utut ejus, quod in ista assumitur, nulla sit cognitio scientifica?

§. 18. Quemadmodum autem à *fide* (§. 13.) discerni debet *fides habitualis*, seu *habitus fidei*, quem cum ista confundunt, qui fidem in genere dicunt habitum assentiendi, ita à *fide* (§. 16.), tam *oculata*, quam *cæca*, utriusque habitus debet probe distinguui. Neque enim, qui semel habet fidem, habitum mox habet assentiendi, sive circa fidem, quam unâ alterâve habuit vice, oculatissimus fuerit, sive summe cæculus.

§. 19. Inde (§. 18) intelligitur, quo sensu dicatur *credulitas*, & qui ab ista nomen suum habet, *credulus*, longissime distans à *credente* in genere, æque ac ab *exercitato credente*, in specie, nec non ab *exercitato oculato credente* specialissime. *Credulitas* nempe, à qua dicitur *credulus*, nil aliud est, quam habitus citra rationem sufficientem aliorum assentiendi assertis. Ab hoc, ut ab omni abstracto, immediatâ consequentiâ, quam facillima est axiomatica adplicatio ad *credulum*, qui sane haud, ut vulgo putant, adeo

rara avis in terris

§. 20. Circa fidem (§. 12.) itaque, tam oculatam, quam cæcam, (§. 15.), & quoad utramque tam, exercitatione ingeneratam promptamque, quam minus promptam, nondumque familiarem redditam (§. 18.), semper occurrunt duplicis generis personæ, *credens*, seu *fidens*, quam minus apte dicunt *fidelem*, & credendum *asserens*, quæ dicitur *testis*, à qua est testificatio & *testimonium*.

§. 21. *Credens* itaque (§. 20.) qualiscunque iste fuerit (§. 18. 19.), est persona, quæ fidem alteri præbet, *testis*, quæ fidem facit. *Testimonium* vero est ipsa assertio fidem faciens. Succinctissimæ hæ sunt notiones, sed quæ tamen, ni fallor, brevitate



vitae suae omnia coercerent, quaecunque indicati involvunt termini.

§.22. Nemini molestas fuisse spero prolatas hactenus (§.8-21.) conceptuum analyses. Primae vice historicis manum calamumque admolior, peculiare propositurus phaenomenon, locum sibi vindicans non postremum in Historia naturali. Quae igitur sit veri nominis *historica cognitio* non ubique, ut decet, determinata, silentio plane praeterire nolui. Circa *historicam cognitionem* occurrunt: Assensus, fides illum involvens, circa fidem, fidentes, fidem facientes, assertio, testimonium, qui termini omnes multis ambiguitatibus obnoxii nec ubique exacte satis extricati sunt. Fixos vero ac genuinos eorum significatus, & in foro theologico, & in Juridico, & medico, & philosophico, maximi esse momenti, lites ab eorum ambiguis & minus adcuratis determinationibus subortae, abunde jam testatae sunt. Nec plane tacite habeo, me hac occasione hinc inde è longinquo velut digito monstrare voluisse paradoxa, addo: heterodoxa sed, quod probe notari velim, neutiquam haeretica, quae suo loco & tempore apertius profiteri nullus haesitabo.

§.23. Praeterea (§.22.) praemissae (§.9-21.) meditationes in praesenti quoque disquisitione (§.12.) usum habent & adplicationem inveniunt. In *historia naturali* is maxime articulus, in quo de naevis maternis, de molis, monstris, portentis & similibus tractant, attentos nos esse jubet & sollicitos de veritate eorum, quae vulgo recensentur, ne caeca fide (§.15.), nimis creduli (§.18.), omnia, quae referunt, sine praevio adoptemus examine, eorum more, qui novitatis studio ducti & mira admirationis ineptia inducti seductique, lepidam credulitate, sine discrimine, qualescunque historiolas mirabiliores mox admittunt propagantque. Quam *historiam naturalem, reliquam, politicam* maxime, saepissime multo magis in ambiguo positam esse perplexamque atque incertam, certissimum habent ipsi de rerum humanarum statuumque mutationibus



solicitiores Historici. Multæ subsunt asserti rationes, hic non indicandæ. Ceterum natura sua non adeo in celatis habet facta, & in aprico posita cuilibet legenda exhibet, nisi quidem obscurorum virorum credulitate oblitterentur. Id quod in articulo de partibus insuetis & similibus singularibus maxime fieri observatur.

§ 24. Hunc historię naturalis defectum agnoscit (§. 23.) Ill. v. HALLER in *anatomie fetus bicipitis*, opusculis suis anatomis addita, ubi pag. 50. §. 2. n. (1.) inquit: *admittimus æqui, plerasque nævorum historiolas interius examen non pati. l. c. pag. 153. in eadem nota addens: Si historias requiras, multas audivi & legi, vidi nullam, neque alii ullam viderunt, quorum testimoniis plurimum tribuo, & pagina sequente: nil ceterum in pedibus, in facie, in corporis figura, in cute capitis & artuum à humana fabrica alieni fuit, nil quidquam nævo simile, & manifestæ voces fuerunt matris ad miraculum augendum destinatæ, quæ totam de terrore narrationem suspectam reddiderunt.* Quantas igitur gratias debemus tanto Viro, qui pro stupenda sua literatura, huncce naturalis historię articulum à fabulis, quoad licet, depurgaturus, exclusis semotisque fide non dignis selectisque, oculatiore fide admittendis, maximò opere, & minimò hòc compendiò in angustias coëgit, lecturæ credituque digniora. Præstitit enim, quod l. c. §. 3. n. 7. promisit, *exclusimus*, inquit, *ubique . . . narratiunculas, quæ ex aliorum fide & ad augenda volumina congestæ sunt ab hominibus, stuporem ignarorum magis, quam rerum gestarum veritatem, querentibus.*

§. 25. Ex hòc ipso (§. 24.) autem unà elucescit peculiaris præsentis recensitionis *usus* (§. 3.). Certis & fide dignis phænomenis augenda est *Historia naturalis*. Ecce! tale tibi hic exhibetur. Si nostrum tibi de isto testimonium (§. 20.) non satisfacit, nec ex fide tibi vivere placet, accede & ipsemet aspice, quod omnium oculis inter nos obvium est. Ita, si fide ne quidem occulatâ (§. 15.) acquiescis oculis tuis usurpatum phænomenon propriâ cognosces experienciâ (§. 14.).

§. 26. Dubius videri posset hic *usus* (§. 25.), quum non anatomien interioris, sed historiam tantu mextimæ fabricæ hujus deformatæ (§. 1.), hõc communicatur scriptõ. Stringo hanc ipsam oppositionem, sine oppositi formidine, verbis modo laudati (§. 24.) AUCTORIS, qui locõ citatõ §. II. n. 4. p. 155. in hanc rem ita differit: *Observationes monstrorum ubivis frequentes occurrunt, eorumque ex probatoribus scriptis fere quingentas congeffi; sed rare sunt historie anatomicae & in tantõ numero vix ultra sexaginta. Inutilis certe est eorum curiositas, qui extimos tantum artus, ruditer satis, neque semper fide, iconibus utcunque adumbraverunt. Anatomie vero monstrorum, licet minus veræ utilitatis videatur, quam simplex & perpetua corporis humani fabrica recte exposita, commendat se tamen novitatis gratia, & continet aliquando semina veri, quæ nunquam è consueta structura corporis nata fuissent.*

§. 27. Verum enim vero hæc (§. 26.) non adversantur, favent potius instituto nostro (§. 12.), nec tollunt, sed imminuunt tantum illius *usum*, quid? quod hunc ne positive quidem, sed respectively tantum, imminuunt. Respectu autem anatomies intimioris illum hujus usu certõ modõ inferiorem esse, ipsemet largior, qui tamen, quod secundum est, aliâ ratione quoque potest esse superior, ut ex dicendis patebit. Et quoniam, quod tertium est, viva non secare licet monstra humana, aut adcuratoris sectionis fine interficere, præsentis infantis tripedis, quod quartum esto, si in vivis esse desierit, ulterius intimiusque cultrõ anatomicõ instituendum examen, jam jam sollicitè subornatum, haud negligemus, & quæ isto detegemus, ad augendam hanc historię naturalis partem, eâ, qua par est, sollicitudine pariter communicabimus. Sin autem quinto mihi supervixerit, ex parte nostratium alii idem facient. Seriùs denasciturus eo ipso, quod sextõ locõ præmoneo, nos suo docebit exemplõ, monstra in cœtu nostro sine vitæ dispendio & sæpe sine sanitatis notabili damno superesse posse non solum, sed & debere, ex peculiari providentiæ ratione. Hunc præsentis historię *usum* ipsemet modo (§. 24.) laudatus AU-



THOR l. c. §. 13. n. 9. pag. 159. concinnò judicio & appositissimò exemplò ita comprobatur: *Tripes infans adultus* J. PLANCO *de monstris & rebus monstrosis dictus est. Ut adeo appareat, posse omnino extra solitum modulum homines nasci, qui vitam, & sanam, & constantem, vivant, quod interim moneo.*

§. 28. His (§. 27.) addo: Inter *quingenta monstra*, quod septimâ vice regero, ex probatoribus Auctoribus congesta ab Illustri hoc naturæ scrutatore *sexaginta* tantum deprehensa fuisse, quæ denata, subtiliori anatomix subjecta fuerint, omnino dolendum est, & eorum, quibus id facere datum fuisset, oscitantiam prodit. Sed anatomologica multa quoque esse, quæ sine cultri anatomici adminiculo observantur, statuendum est. Quæcunque enim *cognitio* circa explanandam & explicandam vitalium corporum structuram occupata est, verò nomine *anatomica* audit. Denique ea tantum inutilis censetur curiositas, quæ extimam monstrorum fabricam ruditer nec semper fide dignis iconibus utcunque adumbrat. Hic conspicienda præbetur, licet non adeo nitida, adcurate tamen depicta exsculptaque, deformati hominis figura, cui ipsum, si placuerit, archetypum potest substitui (§. 25.).

§. 29. Quapropter (§. 27. 28.) *monstrorum anatome*, verba repetito allata (§. 26.), interior nempe æque ac exterior, licet minus *veræ utilitatis videatur, commendat se tamen novitatis gratiâ, & continet aliquando, immo tantum non semper, semina veri, quæ nunquam ex consueta structura corporis nata fuissent.*

§. 30. Historia præsentis partus monstrosi dictis (§. 9-29.) annectenda (§. 8.) supponit parentum suorum, matris maxime, aliquam notitiam, ea propter in hac parte prima præmittendam. In lucem editus est in pago Heitersbacensi, ad agros Nagoldenses pertinente, matre: EVA MARIA RUMPELIN, nupta scrinario, cui nomen est JOH. JACOB DIETSCH, ex quo se concepisse perhibet, fidò in hoc casu testi-

testimoniô (§. 8. 9.). Quem enim habuerint nati patrem, nuptumne matri & quem ob legitimum thorum vulgo agnoscere debent, aliumve, aliunde ut plurimum vix certò constat, nisi à matris testimonio, quæ semper patre non solum certior & natis, & aliis, sed & certitudinem patris legitimi optime testatam facere potest. Ceteris paribus. Sed hæc in transcurso.

§. 31. Ex indicato (§. 30.) horum parentum *vite genere* conjectu facile est, istos sociatis partibus tenuissima esse in re multique sudoris & miserandæ sortis homines. Qua misericordiæ ratione & altiori ejusmodi rerum humanarum SERENISSIMI PRINCIPIS nostri perspicientia factum est, ut & hisce, alienarum opum indigentissimis, parentibus, liceat utilis, omni, nullo autem modò periculosi, spectaculi locò suam hanc puellam monstrosam monstrare omnibus, quibuscunque illam spectare placuerit. Ecquid enim id, obsecro, vetat, cum in luminosiori hoc seculo sole clarius sit Eruditorum, abusive vulgo sic dictorum, imaginationes, quas de gravidarum imaginationibus, & multis sæpe aliis rebus, foveant, monstriosi aliquid potius alere & progignere, quam quasvismuliercularum phantasias. Verùm de his alibi plura.

§. 32. Proinde (§. 31.) recurro ad historica hic communicanda (§. 2. 9.). *Pater*, quinquenni conjugio, tertiâ vice, sub hoc uxoris suæ conceptu prolificus firmò est corpore atque valente. Vegeti quoque & bene conformati sunt bini antecedentes superstites infantes. *Mater*, quæ, quod notatu maxime dignum, antea laborabat morbo comitiali, ab eo tempore, quo enixa est hanc puellam, sanitati ita restituebatur, ut ab hoc morbo nunc plane sit immunis. Excludebat autem hanc puellam *partu* Agripparum, quem dicunt, ubi pedes foetus primi excidunt. Ex hac & pedis supernumerarii ratione haud mirum, partum hunc fuisse difficilem & laboriosum. De reliquo per totum hujus *graviditatis* tempus bonâ gavisa est valetudine, nec quicquam ipsi subit,



subit, quod inde possit accusare, præterquam quod improvise capræ aspectu insigniter fuerit perterrefacta, cui etiam terrori pedem infantis sui supernumerarium, cum aliis (§. 31.), tribuit.

§. 33. Ab his (§. 30. 32.) ad ipsius puellæ *tripedis historiam* propius accedo. *Ætatis* suæ, extra nempe uterum maternum, primum jam complet annum. Quoad *sexus* sui distinctionem in genitalibus externis nullum observatur vitium. Nec *reliquum* universum *corpus* à consueta abludit forma. A natiuitate sua nullo notabili afflicta morbo bene vigebat. Cæterum *animam* ipsi datam esse vivacem & serenam, ex quibuscunque ipsius functionibus animalibus jam jam haud obscure conjicere licet.

§. 34. Imaginem *pedis* in hac tripede *supernumerarii* exhibent appositæ *binæ figurae*. *Prima* illam à posteriore, *secunda* eandem ab anteriore parte repræsentat. Quoad *quantitatem* pes iste tertius fere æqualis est pedi ordinario, nec huic, quoad *figuram* dissimilis; Supra istum exsurgit *tumor* insignis *a b*, *fulcô* in media parte altius impressio distinctus *c* & natium quoddam rudimentum ostendens. Quod *situm* attinet, pars illius posterior *Fig. I. a.* ad spinam, anterior vero *Fig. II. a* ad inguinalem & iliacam regionem protenditur. Nulla vero, saltem non notabilis musculosa *fabrica* sentitur, & sola adesse *videntur* integumenta communia, undique æqualia & multis vasis picta. *Tumor* hic ubique ad tactum valde *mollis* est, & ita *mobilis*, ut singulis respirationis vicissitudinibus respondeant ipsius mutationes. Sub ejulatu vero, quam maxime inflatur. Infra hunc tumorem *cum mobilitate affixus* pes hæret tertius. In parte femoris postica *fovea* occurrit, & in anteriori observatur *protuberantia* instar verrucæ elevata. Pedem inferiorem ad femur retractum ob renitentes contractas partes molles extendere nequit infantula. *Articulus* tamen mobilis est. Pes extremus *unicô* tantum *digitô*, *majori* nempe, instructus reliquorum pedis digitorum loco
lobulum

lobulum carneum appensum habet. Reliqua fabrica omnis respondet receptæ naturæ consuetudini.

§. 35. Haud abs re erit, commemoratæ historiæ (§. 30-34.) alias quasdam tripedum historias subnectere. Numerosa sunt exempla artuum superfluatorum, tam superiorum, quam inferiorum, miris varietatibus intrusorum coalitorumque. Posteriorum exempla sunt sequentia. Tertii pedis rudimentum in homine observatum recenset Dn. GEOFFROI *Hist. de l'Acad.* 1723. Pedem cum duabus patellis semiduplicem commemorat HARTMANN. *E. N. C. dec. II. anno X. observ.* 162. nr. I. Similem casum tertii pedis communicat VOGLAND. *E. N. C. dec. I. ann. III.* BIANCHI describit bicipitem tripedem. V. PAULE ZOD. MED. GALL. 1683. p. 250. Tripedis cum duplici integra & plane distincta serie intestinorum historia narratur à RZASZYNSKI in *historia naturali Polonienfi* p. 353. Duo femora præter naturæ consuetudinem ossi circa ossa pubis hærenti inserta observavit MORAND *Comment. Paris.* 1733. Tertium pedem habet ex osse sacro ALDROVANDUS *de monstris* pag. 555. &c. Similem galli tripedis ALDROVAND *ornithologia* LXIV. pag. 322. Ranam posterius tripedem VALISNER *T. III. pag.* 307. Partum porcæ, ejus unum femur crassum, duplici magno trochantere præditum, inferne duas tibias sustinebat, quibus singulis suus pes respondebat integerrimus, distinctis ossibus, sed calcibus conjunctis, in quibus pedibus tarfi, metatarfi & digitorum numerus duplex adfuit, ILL. DE HALLER in *opusculis anat.* VII. P. I. §. 32. pag. 255. fetum caninum, pede supernumerario instructum 1742. catellum tripedem 1743. IDEM AUCTOR *l. c. X. §. II. n. 3. pag.* 300. *conf. l. c. VI. §. 3. (7.) pag.* 156.

§. 36. Hæc sunt, quæ de præsentis tripedis (§. 1.) parentibus (§. 30-32.), de eorum ipsa hac tripede (§. 33-34.), de quibusdam similibus (§. 35.), *historice*, h. e. quoad ejusmodi phænomenorum existentiam, qua talem (§. 9.), ad



usus ultiores (§. 3-6.), dogmaticos puto (§. 2.) consultâ brevitate (§. 7.) certâque fide (§. 15.), cognitum facere volui (§. 1.), hac vice potui (§. 7.), debui (§. 8.). Considerationi huic *historica* subjungenda porro est illius contemplatio *dogmatica*, (1 c.). Succedit igitur ex instituti & ordinis præscripto nunc instituenda, quam pro altero habemus objecto,

PARS II.

CONSIDERATIO INFANTIS TRIPEDIS DOGMATICA.

§. 37. Amplissimus, in quem heic (§. 36.) excurrere liceret, patet campus. Momentissimæ etiam sunt in isto instituendæ speculationes. Præcipuas tantum & propius huc spectantes, indicatâ (§. 7.), sed in hac parte in *erotematicam* mutatâ, attingam *methodô*, ad quasdam formatas quæstiones succinctâ responsurus brevitate. Nil enim amittit de sua essentia & integritate, cuivis in orbe literario civi conveniens, & in *Diss. de corde humano, veri nominis Antlia hydraulica*, §. 11, 12, 20, 21, 23, 27, 64, 71, 76, 81, 82. in fine, 136, 138, 144, 195, 200, 201, collatis, *epist. ibidem annexâ, Pantometr. Erudit.* §. 19-25, 29-35. 183. seqq. 231. & alibi iteratis vicibus, inculcata *methodus*, hac veste, utpote arbitrariô plane modô ipsi accedente, inducta comparens,

§. 38. *Præcipuæ* autem (§. 37.), quas hic movere mihi licebit, *quæstiones*, hæ sunt: 1.) an & 2.) quibus monstrosis accensenda hæc est puella? 3.) quæ hujus extra consuetum modulum factæ fabricæ humanæ causa est efficiens? an à Deo producta? 4.) an speciatim ab ipso creata, vel æternô, vel primordiali vel succedaneô potentiæ creatricis opere? 5.) an aliâ vel immediatâ? 6.) vel mediâtâ & remotiori operâ, 7.) an divi-

divinitus præstitutô ad ejusmodi necessitatem, vel absolutam, vel hypotheticam, rerum nexu, ab ipso producta? 8.) Sin ista autem neque immediatô naturæ creatricis operi, neque creatæ naturæ sibi relictæ & sponte errantis fatali necessitati poterit tribui, quî factum, ut ad hanc à via consueta aberrationem creata natura fuerit sollicitata? *Brevius*: Si nullo modô divinæ, cujus tandem erit prosapiæ abformis hæc forma humana? an ergo alio fato? 9.) an vero casu nata est hæc tripes? 9.) Si casu, quonam? quæ sub hoc causa effectrix? quæ ista speciatim & nominetenus, si non omni procul dubio ex peculiari sapientiæ creatricis consilio concessa? Ast quæ nam? repeto. An decantata matris? 10.) patrisve? 11.) vel etiam ipsius foetus solitaria? 12.) vel horum denique duorum? 13.) vel trium omnium sociatim confluens imaginatio? 14.) an ab omni? 15.) an ulla saltem? 16.) an plane nulla ex parte, suum hic intulit symbolum? 17.) Si nullatenus illa quid contulit, quod consideratione esset dignum, quæ causa alia? Mechanicæ supersunt & organicæ. Harum differentiam dedi in *Idea Medicinæ organologicæ irenica*. Ecquæ ex istarum classe? 18.) an in patris? 19.) an in matris? 20.) an in ipsius fetus? 21.) an iterum in binorum (nro. 10.)? vel trium omnium (nro. 11.), organis quærendæ? 22.) an aliunde accersitæ? 23.) an epilepsia matris aliquid effecit? 24.) an diæta duriusque reliquum vitæ genus aliquid contulisse existimandum est? 25.) an ex ipsa hac tripede pes ipsi tertius vel succrevit 26.)? vel evolutus est? 27.) vel alio modô ingeneratus? Formatum enim, sin usque posueris, quod cogitari potest, vel minimum, *augeri*, profecto aliud est, aliud *generari*.



Quod vero generatur, vel ab alio generatur, vel ab ipfomet, ad cuius complementum spectat generandum. In hoc, ni fallor, latet genuinus *evolutionis* conceptus. 28.) An dictus pes insolitus adventitius aliunde, & unde? 29.) An ab alio infante avulsus, & huc translatus, agglutinatus? 30.) Et quo tempore? 31.) Et quo appositionis modô? 32.) An perditus? 33.) An superstes? 34.) &, si superstes, ubi locorum, ubi terrarum, ubi gentium conceptus iste, cuius in hoc reliquiæ conspiciuntur? 45.) An forte superstes, quod amisit, recuperabit? 36.) &, si non recuperabit, quô spoliatus est futurus hic fulcrô artificiali indigens gracillator, ficcine bini unâ infeliciores facti sunt homines, nostræ familiæ consortes? 37.) Quæ sub huius naufragio superviventis nati tripedis fabrica interior? 38.) An pariter? 39.) parumne? 40.) multumve? 41.) & quô modô perturbata? 42.) An ob viciniam partium vel similis, 43.) vel dissimilis, utriusque nempe, speciei, sicque hermaphroditica, miscela? 44.) An infelix hic supermortui spoliator diutius in vivis supererit? 45.) An sanus, quemadmodum bene formatus? an vero morbis? 46.) & quibus præ nobis obnoxius erit superstes? 47.) An & quomodo isti in miseriæ aliquod solamen possunt præcaveri? 48.) An? & 49.) quodnam illi superest auxilium, à matre desideratum (§. 6.)? 50.) An ad generationis negotium apta hæc est nata? 51.) & adultiori igitur conjugium concedendum, si, quem olim sui amantem invenerit? 52.) Quæ denique inauspicatoris huius deformationis ratio moralis? Hæccene? an illius peccaverunt parentes?

§. 39. En! quæstiones (§. 38.) undique considerationis jucunditate & utilitate commendabiles (§. 3-6, 29.) maximâ parte gravissimas, intricatissimas. Multæ essent aliæ, quas autem hac vice silentiô præterire volui. Commemorarum primæ & ultima omnium omni procul dubio sunt momentosissimæ. Utcunque autem se habeat earum difficultas, istas tamen expendere haud erit à foro nostro ubique alienum. Cæterum istæ non obiter & promiscue positæ, sed ad eum dispositæ sunt ordinem, quem doctrinæ postulat ratio, à quolibet facile prævidenda, & in disquisitionis speciaiori decursu magis observanda.

§. 40. Tot igitur partis hujus secundæ (§. 36.) sunt articuli, quot sunt propositarum (§. 38.) & dictô ordine (§. 39.) enucleandarum (§. 37.) quæstionum momenta. Nemo non videt, hæc omnia longe transgredi harum paginarum angustias. Coërcebimus istis tantum adhuc binas priores quæstiones, quid? quod ne has quidem pro dignitate poterimus evolvere. Succinctam hac vice instituere jubemur utriusque disquisitionem (§. 2.). Hac igitur brevitatis & ordinis ratione nunc (§. 38. n. 1.) sequitur

QUÆSTIO I.

AN DICTA INFANTULA TRIPES MONSTROSA?

§. 41. De hoc puellæ hujus male conformatæ caractere omnino prius est dispiciendum, quam, quæ illi sub isto competant, possunt determinari. Hæc igitur quæstio (§. 40.) supra jam primô locô pòsita (§. 38. n. 1.) jure præmittitur reliquis, pariter ad doctrinæ ordinem dispositis (§. 39.). Nec frustra hic sumi illius disquisitionem, putandum est. Consideratu necessaria est, partim ob influxum, quem habet in sequentes quæstiones, partim etiam respectu ipsius tripedis, cujus causa hic agitur, ne scilicet, cui hoc adversi accidit,



vel plus, quam par est, imputemus infelicitatis, vel eam, quareapse premitur, non tribuendam esse, ibi inconsultâ judicemus misericordiâ, hic immisericordes. Neque enim adflicto est addenda adflictio, neque ea, quam habet, ipsi deneganda.

§. 42. Num vero (§. 41.) hæc tripes partibus accensenda sit monstrosis, nec ne? prius, quam, quid *monstrum* sit, exactiùs cognitum habemus, debite determinari nequit. Præmittenda igitur hic est genuina *monstri idea*, haud adeo, ut fortassis putatur, facilis, sed multiplicibus obnoxia difficultatibus, si non per se, at per accidens tamen. Accidit id vero huic, ut aliis quamplurimis, quibus obiter in foro uti assolent literario, terminis, ob eorum vagum, indeterminatum, & minus technicum usum. ALII cum aliis *uteri concrementis*, *molam*, ALII *molam* cum *monstro*, ALII *monstrum* cum *partu sodomitico*, qui monstrosus esse potest, & non monstrosus, ALII *monstrorum genus* cum eorum *speciebus*, v. gr. cum *vegetabili*, *brutino*, *humano*, ALII *monstrorum* cum ipso reliquo subjecto, quod monstrosus respectu tantum dicitur, ALII idem cum *ostento*, *prodigio*, *portento* mirum confundunt in modum. Ab his igitur aliisque multo pluribus terminorum idearumque confusionibus & ambiguo dicendi genere immunem stabilire hunc, difficiliùs reddit, non quidem res ipsa, sed ipsa instabilis de hac re loquendi multorum luxuria, ad præscriptas artis cogitandi regulas, & cogitare, & loqui, ignorans.

§. 43. Vagabundos & vulgares dictorum (§. 42.) terminorum omnium & omnes abusus ad usus fixiores & technicos reducere, non hujus est loci (§. 2.). De figenda *monstri idea* sollicitus hunc in finem pauca addam. Ad rei momentum quodammodo accedit CEL. ALBERTI, qui in *System. Jur. pr. med. P. I. C. V. §. 13.* *monstrum*, inquit, est *deformis structura corporis humani, dum tales partes & connexiones in eodem occurrunt, quæ ad ipsius essentiam non plane spectant; quando itaque vel in unica corporis parte talis deformitas reperitur, tunc pars merito monstrosa audit; quando vero paulo*
eminen-

*eminentius de tali deformitate totum corpus participat, tunc sub-
jectum monstrum est, Minime tamen illa argumentatio valet,
quasi id tantum monstrum sit, in quo caput humanum deficit, ob
illam rationem, quia anima humana in cerebro suam sedem habet;
si enim reliquum corpus humanum est, & caput tantum deficit,
necessario in extraordinario hoc casu alibi anima sedem suam
habere debet, eque ac si cerebrum in aliquo subiecto deficit.
Quidam monstri ideam ad capitis humani defectum restrin-
gunt. Nec stabili fundamentô nititur eorum Theologorum
sententia, qui ex hoc unico decernunt, an monstrum baptizan-
dum sit, nec ne? v. LUDOVIC. in usu pract. distinct. jur. p. 23.
SCHENCK. L. 1. observ. 1. A. N. C. passim in 1. & 2. Dec. præ-
cipue Dec. 1. ann. 3. DEDEKENNUS Consil. Theol. Volum. 1.
p. 2. L. 1. Sect. 3. n. 7. Sim. Præf. Acad. P. I. Dispnt. 3. th. 2.
BALDUINUS ad leg. 2. pr. eod. de posthum. hered. ZACH.
L. 7. tit. 1. qu. 4. n. 7.*

§. 44. Alii (§. 43.) monstra dicunt, quæ formam non
repræsentant humanam. Distinctio, quam quidam faciunt
inter monstrum, ostentum, portentum & prodigium (§. 42.),
aut levioris est momenti, aut plane erronea. v. ZACH. L. 7.
tit. 1. qu. 1. n. 17. 19. Saltim monstra ad vitalia pertinent sub-
jecta. Prodigia, portenta & ostenta latius dicuntur. v. Cel. LU-
DOV. in us. pract. distinct. jur. p. 23. monstrum dicit, cui caput
deest, & postea ostentum portentumque illud, in quo natura
membra humana ampliavit vel imminuit, vel cujus membra, ca-
pite exceptô, à forma debita recedunt. Mitto alios conceptus,
quos evolvere possumus apud eos Auctores, qui de monstribus
scripserunt. Huc spectant v. gr. SCHENCK. LICET. BAUDI-
NUS. BLEGNY. REJES. qu. 36. A. N. C. HOFFMANN. in dis-
quis. corpor. human. pathologico-anatomico specim. 10. §. 9 - 11.
SCHURIG. Spermatolog. MORONI directorium de membr.
SCHOTT, in physic. curios. PARÆUS, SENNERTUS, THO-
MAS BARTHOLIN. ABDROVANDUS. DOERINGIUS.
WEINRICHIUS, RIOLANUS. MARTINUS HEBEN-
STREIT in Anthropolog. forensi. lat. II. Membr. III. cap. 2. §. 1.
p. m.



p.m. 629. 630. TEICHMEIER in instit. med. leg. cap. XIII. qu. 1. Qui denique multa de *monstris* dicunt scribuntque, ne quidem dicentes, quid ipsis *monstri* nomine veniat, ii tanto magis à recto discedunt tramite.

§. 45. His omnibus (§. 43 - 44.) aliisque collectis, collectisque invicem collatis, deprehendo usitatori loquendi usui eum convenire significatum, quem juxta MONSTRUM dicendum est *corpus vitale, quatenus in sui generis structura à consueta deflectit regula*. An ergo omnis morbus *conformationis* aliquid *monstruosi* alit? Ita! Sed cave invertas propositionem, In hoc ipso enim differt *monstruosum* à *morboso*. Haud omne *monstruosum* est *morbosum*, licet omnis *conformationis morbus monstruosam* involvat fabricam,

§. 46. Aliô, quam hîc, objicis, significatu *monstri* terminum sumunt THEOLOGI & JCTI, ideoque distinguendum esse putas inter sensum illius *philosophicum*, & *theologicum* vel *juridicum*. Ast, cave, moneo, injuste judices ipsos justitiæ judices & custodes, aliosque, Non is dissensus est philosophicam inter, & reliquas Eruditorum FACULTATES. Ista ad has sine exceptione sese diffundit, nec ullus in ulla existere potest civis, non philosophus, si quidem sui vult esse nominis. Deinde dictam *monstri* ideam haud meo arbitratus relictam esse volo, sed ex aliorum consensu potiori colligo, ad familiariorem *loquendi usum*, ut decet, respiciens, Accipe illius rationem & explicationem,

§. 47. *Usui loquendi* respondet dictus (§. 45.) *latior* (§. 46.), non respondet *strictior* vagusque (§. 42 - 44.) significatus. *Monstruosa* sane etiam habemus, & vulgò talia nuncupamus, à consueta fabrica quæ abludunt, *vegetabilia*. Ergo monstra ad solam animalium non referuntur familiam, multo minus sibi constant, qui de *monstris* in genere suas incribunt tractationes, & nihilominus in earum progressu de solis loquuntur *humanis monstris*, ut videre sæpius est in celebrioris

notæ

notæ AUTHORIBUS , qui , quod magis absonum , in ipsa adeo *monstri* definitione solius *monstri humani* ideam retinent ; cum tamen ipsimet cum omnibus in confesso habeant , saltem *brutina* quoque existere *monstra*.

§. 48. Deinde (§. 47.) *corpus* pono in *monstri* determinatione , generis locô (§. 45.) , quia in sola corpora proprie loquendo cadit *monstrosa conditio* , utut hæc *multiplex* omnino , sed improprie dicta , esse possit , & actu existant & sciendorum , & scientium , partus *monstrofi* sat multi. *Corpus* pono non *solidum* , quia hæc partialis notio in sequentibus generis proximi termino jam jam involvitur. *Adcurate* enim *definimus* non solum , ubi nil omittimus , sed ubi unâ nil , quod abundat , admittimus , In alia vero , quam solida corpora , non cadit , quod *monstrosus* dicimus. Ut itaque *completum* , idque , ut fas est in bonæ notæ definitione , *proximum genus* , huic substernerem conceptui , *corpus* posui *vitale* ; *vitale* , non *vivum* , ne excludatur *mortuum* ; *vitale* , non *animale* , ut simul comprehendatur *vegetabile*. Hoc vero de *vitalem* esse genere , doctrina nostra innuit , quam dedimus in *specimine ophthalmiologiæ* §. 41 - 47. Habeo in hoc consentientes v. gr. WALLERIUM in *Hydrologiæ suæ prolegom.* §. 3. & alios.

§. 49. Postea (§. 47. 48.) in hoc (§. 45.) figendo , aliàs adeo ambiguo (§. 42 - 44.) , *monstri* conceptu non *positive* , sed *relative* loquor , illud non dicens , quod à consueta abludit conformatione , sed *quatenus* ab ista degenerat. Nullum sane monstrum de suo usque degenerat genere , ut de hoc ipsi nil amplius sit reliqui. Quodcunque enim concrementum plane nullam alicujus corporis vitalis imaginem recondit , illud non *monstri* , sed alio venit nomine. v. gr. *Molæ* in animalium familia. Ita removetur ambiguitas , quam quidam in majori minorive generatorum deformitate quærun , hæc ab ista *monstra* , ab hac vero *monstrosa* , dicenda esse , existimantes , nec terminum hunc *respectivum* , esse , cogitantes. Inde



CEL. ALBERTI locô citatô (§. 43.) quando itaque, inquit, vel in unica corporis parte talis deformitas reperitur, tunc pars merito monstrosa audit: quando vero paulo eminentius de tali deformitate totum corpus participat, tunc subiectum monstrum est. Ast non opus est hâc, insuper minus aptâ, distinctione. *Monstrum est monstrum*, & ab hoc dicitur *monstruosum*, sive quoad omnes, sive quoad quasdam tantum, partes à solita deflectat fabrica.

§. 50. Præterea (§. 47-49.) in indicata (§. 45.) *monstri differentia specifica* loquor de insolentiori, seu à solitis ordinariæ alicujus, in congeneribus subiectis observandæ, conformationis legibus discedente. *Rectum enim est norma obliqui*. Rectum, ad quod metimur *monstruosum*, monstrat cujusvis corporis vitalis sui generis formosa constitutio. Hanc *monstrosæ* conformationis normalem regulam certa nobis supeditat naturalis Historia, vel experientia propria. Cavendum vero est, ne præcociori sententiâ male conformata dictitemus, consuetâ subiectorum sui generis conformatione nondum debite perspectâ. Solitæ sæpe insolitæ, & insolitæ, cæteroquin optime conformatæ, male conformatæ, incautis facile videri possunt fabricæ.

§. 51. *Monstrofi* porro (§. 47-50.) ab aliis corporibus *differentiam specificam* in qualicunque abformi conditione pono (§. 45.), quatenus nempe complectitur à consueta alienam effigiem, tam quoad qualitatem, quam quoad quantitatem; inque qualitate, quoad situm, figuram, structuram, strictius dictam, & in quantitate, quoad numerum proportionem & quovis illius gradus. Ne igitur data (§. 45.) *monstri definitio* definitio esset angustior, in ista non posui corpus à sui generis structura, sed in sui generis structura à solita abludens regula. Familiariorem enim de *monstris* conceptum utrumque innuere, observare est. Caput, aliudve membrum, enormi volumine multiplo, quam solemne est, majus, & truncum fere exæquans, nemo non pro *monstrosa* habet mole, sive de reliquo

liquo bene, five unà male fuerit conformatum. *Pygmæum* quidem cæterum bene conformatum, qualem formosissimum parvulum inter Gallos nuper vidi, *monstrosus* accenferi, inusitatius esse, videri posset. Nonne vero *Pygmæus*, toto suo reliquò corpore grandius, saltem ipsi non proportionatum, gestans caput, utut male formatum, merito diceretur *monstrosus*? Eccur vero? Nonne ob capitis sui granditatem? Sin igitur pars ob quantitatis insolentiam *monstrosa* dicitur, cur non insolentior totius corporis alicujus vitalis quantitas, vel deficiens, vel excedens, non eodem veniat nomine, equidem haud video. Cessabit omnis dubitatio, si modo distinguamus inter *monstrum quantitatis & qualitatis*, seu *monstruosam quantitatem & monstruosam qualitatem*. Eundem conceptum admittunt præter me alii quoque. Ita v. gr. TEICHM. in *instit. med. leg. c. 13. qu. 2. p. m. 89. monstra*, inquit, *sunt, quorum membrorum conformatio turbatur vel secundum situm, vel QUANTITATEM, vel numerum, vel figuram*. *Monstrose* itaque *nasutus* est æque, qui grandiolem, ac qui male formatum emit tit *nasum*, & dupliciter *monstrose* *nasutus* est, qui non grandiolem solum, sed & aduncum, quo alios possit suspendere, porrigit *nasum*.

§. 52. Cogitatè etiam (§. 51.) in hujus conceptus determinatione (§. 45.) sine restrictione loquor de corpore, quocunque modò *discedente* à consuetæ conformationis regula. Ab initio in cogitatione habui enormiter discedentem fabricam: sed re, penitus expensâ, observavi deformitatis hujus hõc modò determinatam regulam poni haud posse, quia sic semper ambigui & controversiis obnoxii manerent ejus limites. Ita vero omnes possibiles comprehenduntur gradus. Denique de effigie à solito ordine discedente loquor, non de degenerante, seu jam à generatione ab isto discedente. *Monstruosum* enim est *monstruosum*, quocunque tempore, five jam in ipsa generatione, five post illam, tale factum fuerit.



§. 53. Cui latior hic (§. 52.) & ante dictus (§. 45-51.) *monstri* conceptus non arridet, is ponat angustiore significatum & cogitet, hōc positō, quosvis possibiles, in quibus hæc notio debet applicari, casus, & videbit, hætenus explicatum *latiorem conceptum* convenientiorem esse. Nec is repugnat solidiori de monstris doctrinæ, sed ad hanc potius dilucidiorē reddendam facit, & ad multas de istis in foro theologico, juridico & philosophico controversas quæstiones haud parum potest conferre. Nil enim superest, quam ut hoc male conformatorum genus in suas species ordinesque dispescatur & singulis singula, de quibus disceptatur, applicentur, quo nihil erit facilius.

§. 54. Doctrina enim (§. 43.), sæpe nimis scrupulosa & inutilis visa, multis multum sæpe, ab omnibus non prævisum, *usum* in sua demum ostendit applicatione, quæ in præsentī causa jam facilis est. Ex dictis enim nunc planiori (§. 45.) & pleniori (§. 47.-52.) intelligitur sensu, quid de præsentī infantula tripede sit statuendum, num *monstrosus* accensenda sit, nec ne? *Monstrum* dicitur corpus vitale, quod in sui generis structura à consueta discedit regula (§. 45.). Ista vitalis est, & adhucdum in vivis. Nos inter bipedes vero tripes hæc de nostra quidem est familia, sed ab hac tamen cum hoc excessu insigniter aliena. Ergo eatenus monstruosa. In quod enim cadit definitio, in idem cadit etiam definitum. Planiora hæc sunt, quam ut dici mereantur, *obvertis*. Bene mones. Ex hac ipsa ratione tantâ conclusæ orationis brevitate ista dico. Displicent mihi met ipsi eorum mores, qui, quæ paucis dici possunt, multis dicenda esse putant, dicuntque, egregie id caventes, ne, quæ clara sunt & plana, nimis plana compareant, valde itaque solliciti, ut plana minus plana faciant, immo sæpe perexilia pereleganti vacuæ dictionis sterilitate illustriora reddant. Ha! steriles ad partum conatus? Tandem prodit ridiculus mus. Si vero prætentata (§. 42.-52.) agnoscere recusas, quæro ex te, quid dicturus fuisses, si obiter *monstruam* dixissem hanc puellam? Quot ambiguitatibus, quot, quæso,

quæso, tuis, quot aliorum dubitationibus obnoxium fuisset hoc assertum? Ita vero demum sine oppositi periculo ad præmissam quæstionem (§. 40.) respondere licet:

E. dicta infantula tripes est monstrosa.

§. 55. An, & quibusnam monstrosis adnumeranda sit dicta infantula tripes, duæ sunt quæstiones, valde connexæ. Illam (§. 38. nro. 1.) igitur hucusque (§. 40. - 53.) explicatam, ob suum cum priori nexum, excipit altera (§. 38. nro. 12.), concatenatâ tractatione sub responsionis ad illam finem (§. 54.) suum heic inveniens initium. Ita vero sese habet

QUÆSTIO II:

QUIBUS MONSTROSIS ACCENSENDA EST DICTA INFANTULA TRIPES?

§. 56. Non minus utiliter de hac (§. 55.) quam de priori (§. 40. 41.) disquiri quæstione, haud nullæ nobis persuadent rationes. Si quidem, ut modo demonstratum est (§. 54.), monstrosis ista adnumerari debet, dispiciendum omnino etiam erit, ad quamnam, sub hoc corporum genere, classem illius corpus deformatum jure meritoque possit debeatque referri. Haud enim par foret, obiter illud dicere monstrosus: sed æquum est, ut, quô specialiori nomine tale dicendum sit, expendatur, ne infra sortem nostram communem jam locatæ huic puellæ in suo genere justo inferiorem assignemus locum. Ita unâ elucescet quodammodo, opportunum quam sit & ad doctrinam de monstris adcommodatum, quô quodlibet locô sit habendum, semper prius dispicere, quam, vel in foro philosophico, vel theologico, vel juridico, vel medico, circa intricatissimas sæpe quæstiones nostram dicere audeamus sententiam.



§. 57. Variæ enim (§. 56.) *monstrorum* sunt *species*. Has igitur curiosius, quam quidem vulgò fit, determinare decet. His determinatis, demum singula singulis haud difficulter inferere possumus *individua monstrosa*. Horum vero classes classiumque ordines omnes evolvere, pleniusve dilucidare, hac vice non vacat (§. 7.). Quasdam igitur tantum in transcurso velut attingemus.

§. 58. Monstrum vel *proprie* dicitur, vel *improprie* (§. 48.). Præsens monstrosa monstrosis *proprie* dictis (§. 45.) accensetur. Corpore enim monstrosa est. Qualis intus delitescat anima, nondum constat. Ætatis progressu docebunt id illius operationes. An vero ex male conformato corpore de animæ ipsi insitæ indole aliquid arguere liceat, altioris indaginis est & difficilis quæstio, sed nondum, ut decet, excussa. Hoc saltem certum est, sine summæ providentiæ moderamine nil esse in hoc universo, ne monstrum quidem. Alium igitur præ alio, vel bene, vel male, conformatum à nativitate accepisse & circumgestare ergastulum, non de nihilo esse, credere par est. *Psal. 100, 2. Matth. 10. 30. Rom. 9.* Verùm & hoc cognitum habemus omnes & singuli, in corporibus rationalium animantium, optime conformatis, pessimas sæpe residere animas, & multo monstruosiores, immo monstruosissimas. Vah! quam horrendum, quam prodigiosum est observare, monstra monstra dicere, & germanâ hac fraternitate conjunctos sibi invicem insultare multos, quibus aliorum nævos connatos & adventitios videre & ridere volupe est, suos vero, neque physicos, neque logicos, neque morales, agnoscere datum est. Quinimmo impia sane & inhumanissima est arrogantia, se bene fabricatum suspicere, & despiciere male conformatum. Iste, hunc aspiciens, suâ hac non superbito prærogativâ, sed cogitato potius aliam altiore, *moralem* indigito & logicam, ab ipso eo magis esse quærendam. Eadem perpendito alium melius efformatum contuens. Ob corporis defectum animum is non abjicito, sed erigito potius. Animam nil monstri alere, &, qua monstrum, alios, qui monstra cogitant, loquuntur, suisque edunt actionibus, vel
logica,

logica, vel moralia, vel utraque, præminere, majorem esse excellentiam, is cogitato.

§. 59. Pergo (§. 58.) in locanda (§. 55.) nostra tripede. Monstruosum corpus quodvis est *vitale* (§. 45.). *Vitale* quodnam dicatur, ex *vita* definitione intelligitur. *Vitam* cum *natura* alii, ut hanc cum *principio activo* confundunt haud raro. Sunt, qui, cerebrosi sui ingenii spiritibus, ut ajunt, animalibus perciti seductique, contra omnem *loquendi usum* pactumque de isto frivole non immutando, saltem inter omnes tacitum, ab artis autem cogitandi animique sui sensa exprimendi Professoribus in orbe literario aperte publicatum sanctumque, sancte servandum, verbis ludere receptisque terminis pro lubitu uti volupe habent & sub hac luxuria, *omnia vivere*, sibi aliisque persuadere volunt. *Elementa* suam vivere vitam, haud absurdum est dicere. Paradoxon hoc loquitur *vita* idea. Sed ideo omnia ex istis composita vivere, nihilominus absolum foret statuere. Quid *corpori vita* sit, explicavi in citato (§. 48.) *ophthalmiologiae Specimine*, de *ophthalmiis sine ophthalmicis externis curandis*, §. 45.

§. 60. Inde (§. 59.) dicitur *vitale* corpus, quod est corpus *vita* destinatum. Hujus species sunt: corpus *vivum* & *vitale non vivum*, cum *non vitali*, nude dicto, non confundendum. Ad *vitale non vivum* spectant *vivificabile*, *non vivificabile*, *mortuum*, & denique *cadaver*, quod omnino distinctum est à *corpore mortuo*. v. allegatum (§. 59.) *Specimen ophthalmiologiae* §. 48, 54. Omne igitur corpus est: vel *vitale*, vel *non vitale*; *vitale* vero: vel *vegetabile*, vel *animale*, l. c. §. 50. ab *animato* discernendum l. c. §. 51, 52. quod insuper distinctum est ab *organico* l. c. §. 40. 53. Quemadmodum igitur omnia corpora *vitalia* sunt: vel *vegetabilia*, vel *animalia*: ita omne *monstruosum* inde recte dividitur in *vegetabile* & *animale* & hoc iterum in *brutinum* & *humanum*. Reliqua harum specierum explicatio per se patet. Præsentis tripedis pedem insolitum *humanæ* esse *profapiæ*, primus docet illius



illius aspectus (§. 33.) Totum vero reliquum illius corpus solitam refert bene conformati hominis effigiem. De hac ergo illius classe non ambigitur. Cuinam vero in hoc inferiori debeat accenferi, potissime videndum est.

§. 61. Omne corpus *monstrosus* deformationem suam habet, vel à solis sibi propriis male efformatis partibus, vel ab aliis quoque peregrinis & adventitiis. Unde illud porro (§. 59. 60.) dispescitur in *simplex* & *mixtum*. Utrumque definire, perfacile est. *Monstrosus* autem *mixtum*, seu compositum, denuo dividitur in *homogeneum* & *heterogeneum*. *Monstrum mixtum homogeneum* est: vel ex similibus, vel dissimilibus, sui generis speciebus mixtum. Posterius illud ipsum est, quod *hermaphroditicum* dicunt. *Monstrum heterogeneum* vocandum est id, quod ex diversi generis subjectis conflatum est. Plura enim distincta, imprimis vero diversa, quæ in unum coeunt, corpora, si in se vel optime fuerint efformata, monstra tamen exhibent, quoniam hæc compositio à consuetis naturæ præsentis legibus discedit (§. 45.).

§. 62. Tripedem nostram (nostram autem eam dicimus, quatenus nostræ illam heic fecimus considerationis objectum) quin *mixtis*, seu compositis, adnumerem monstrosis, temperare mihi vix possum. Pedem enim suum supernumerarium, valde elaboratum, quoad stamina ejus primigenia aliunde illam habere atque eum ex ipsamet haud evolutum esse, vix dubitare licet. Ejusmodi virtutem formatricem vitali corpori vel à creatione esse insitam, vel casu inesse, difficilius est credere, quam tale organon superabundans aliunde accitum atque aliàs solemni & explicatu facili implicatione implantatum esse & sensim concretum. Magni quidem, quos veneror, viri aliter statuere videntur. Sed hisce istis me neutiquam oppono, qui tantum vero heic similiorem mihi visam sumo *hypothesin*, *hypothesin*, repeto, hoc est, ejusmodi propositionem, quæ alio quoque sumi potest modo. Qua autem ratione hoc phænomenon ab alterutra probabilitatis suæ parte
ad

ad certitudinis usque gradum possit evehi, hic nondum dis-
quiro. Forsan infra, vel alibi, ad id dabitur occasio.

§. 63. De *monstrosis* ex pluribus individuis compo-
tis, speciatim de *bicorporeis* (*tricorporeorum* enim & *magis*
compositorum, vel nulla, vel rariora sunt exempla, cognita
nempe, plane enim nulla esse, certo dici nequit, quia ista
omnino sunt posibilia) graviores movent quæstiones, &
THEOLOGI, & JCTI, v. gr. an singula totidem regantur ani-
mabus? an pro uno aut duplici individuo habendi sint foetus
bicorporei? an *monstra duplicata*, *multiplicata*, duplici, tri-
plici &c. baptisate initianda sint? an in casu dubio, dubie?
addo: Si dubie sacrô tincta fuerint lavacrô, an postea, re
certius cognitâ, reiterandum, vel supplendum, sit baptisma?
an duplex duplici, triplex triplici in foro gaudeat jure, an
binas pluresve capere possit hereditatis partes. v. SIMON.
Præs. Acad. P. I. disp. 3. thes. 2. p. 121. Varii varia respon-
dent, & pro varietate circumstantiarum varie omnino respon-
dendum est. *vid. l. cit. & LINCK. disp. de baptismo cap. 1.*
thes. 5. WEINRICH. *de ortu monstror. C. I. SYLLOGE DE-*
CRETORUM PARLAMENTI PARISIENSIS è commentariis
PETRI BARDETI cum not. Claud. BERROGERI c. 68. ACT.
ERUD. LIPS. supplem. 2. pag. 196. MUTEI disp. de auctoritate
HIPPOCRAT. in studio juris cap. 2. §. 7. DEDEKENN. vol. 1.
de baptismi objecto. FIDELIS relat. med. L. 3. Sect. 8. Cap. I.
BOEHMER in jure Eccles. cap. 3. tit. 42. n. 10. SCHILTER. in
thesaur. Catech. de baptismo. KOENIG. in cas. conscient. de inst.
Bapt. cas. XI. MENRIQUEZ theolog. TEICHM. inst. med. leg.
c. 14. qu. 6. ALBERTI hist. med. jur. pr. tom. I. cap. V. §. 20.
BUDEWYN. ventilabrum med. theol. p. 2. qu. 21. KULMUS
in descript. anatomico-physiolog. alicujus foetus monstrosi. HE-
BENSTREIT Anthropol. for. Sect. II. membr. 3. cap. 2.

§. 64. Prælibetas (§. 63.) quæstiones hic præterire
possumus. Licet enim, de qua loquimur, puella, quod
vero est simillimum (§. 62.), quodammo do sit bicorporea &
monstrosis mixtis (§. 61.) accensenda, unius tamen homi-
nis vitam vivit, Quam unius igitur inter nos civis, non plu-
ribus



ribus, eam gaudere juribus, tam ecclesiasticis, quam civilibus, nullum est dubium. Ex parte enim tantum bicorporea est, partem, præter corpus sibi proprium, de alio participans, insigniorem quidem, sed inanimam. Animam namque in socio, à quo partem illam lucrata est, corpore, aut nondum adfuisse, aut si adfuit, cum reliquo corpore uno velut aufugisse pede, altero in hoc relicto, statuendum esse, aliâ vice docebimus.

§. 65. Num vero (§. 64.) nostræ tripedis corpus ad ejusdem, numve ad diversi, ordinis monstrosa pertineat corpora, alia particularis est quæstio, in principali ista (§. 55.) comprehensa. Pedem suum accessorium sin aliunde habet, habere ab alio sui generis, indubium, in suo autem genere, a cujus speciei alio, dubium est. Eum enim, aut suæ speciei, aut potioris, sexus consorti acceptum referre debet. Et utri? Difficile dictu. Oculatiori examini subjicienda res est & videndum, num ullibi aliqua deprehendantur vestigia, ex quibus conjicere liceret, cujus sexus fuerit foetus, qui, hinc uno pede profugus, alterum huic tertii locô reliquerit? num excrescentia illa, quæ *femoris parte anteriore superiore c* conspicitur, verrucosi alicujus concrementi, num vero penis, aliquod rudimentum referat? num intus forte delitescant hujus rei indicia? num ea propter sit *hermaphroditica*? De his autem omnibus ad quæstiones sequentes (§. 38. nro. 23-27. 35-41.). Curiositatem verò plane demum satiare poterit post mortem ipsius instituenda sectio (§. 27.).

§. 66. *Monstrosa* sunt: vel *viva*, vel *non viva* (§. 59, 60) & *viva*: vel *vivacia*, vel *non vivacia*. *Vivacia* alias quoque dicunt *vitalia*, sed minus accurate, reapse enim ista ab his sunt distantia. *Vitalia* latius dicuntur & sub genere suo complectuntur *speciatim vivacia*. De his CEL. ALBERTI in *Syst. Jur. pr. med.* ita differit: *in monstrorum doctrina movetur etiam quæstio an monstra sint viva & vitalia? ubi distinguendum est inter concretionem monstrosam, molaticam & monstrum perfectum; plurima itaque monstra, nisi vel ante partum in utero, vel sub partu vita priventur omnino viva & vitalia existunt, quæ tamen*

tamen haud diu vita fruuntur, sed brevi extinguuntur. Hinc authores parallelam illam quæstionem proponunt, quæ monstra vitalia aut minus talia sunt. Quamvis vero plurima monstra citius intereant, dantur tamen exempla monstroforum hominum, qui per plures vixerunt annos. Eandem quæstionem eodem fere modò tractarunt TEICHM. in instit. med. leg. cap. 13. qu. 4. ZACH. L. VII. tit. 1. qu. 6. WEINRICH. de ortu monstror. cap. 34. Verùm, quod pace tantorum virorum & sine ulla dixerim arrogantia, citata hæc, & aliorum similia, eloquenter potius, quam technice (§. 54.) & nimis implicate dicuntur atque tot intricata sunt ambiguitatibus, ut multa indigeant adcuratori explicatione, ex modo & ante (§. 48. 50, 60.) dictis enucleatius sistenda & substituenda.

§. 67. En! novas (§. 66.) puellæ nostræ monstrosæ prærogativas, præter dictas (§. 58. 60.), præ aliis monstrosis ipsi ex æquo tribuendas (§. 41. 56.). Sine vitæ naufragio sub hoc generationis discrimine *viva* in nostrum prodiit cœtum & bene *vivax* in hoc inter nos per anni spatium jam superstes fuit (§. 33.), erit forte diutius (§. 38. nro. 42.). Alteri igitur, quem quamve nascitura suam præter intentionem pede spoliavit, supervivens & posthuma, hujus vitæ lucris commodisque, si non hominis duplicis (§. 64.), nec unius omnibus, potioribus tamen & omnibus, quibus potuit, & ecclesiasticis, & civilibus, potita est juribus. Præterea suo nos *docet* exemplò & spectaculò, multa docente (§. 29.), *vitales* non solum sed & *eminenter vivaces* in hominum, nostra, inquam, familia esse, & superesse, & posse & debere, & superesse haud frustra, sed pro exemplo, & ipsismet, & aliis, utili, & superesse posse diutius, & felices, sub ipso hoc infortunio.

§. 68. Ita (§. 67.) tripes infans, cujus descriptionem habemus à Dr. PLANCO *de monstr. & rebus monstrosis* adultiori ætate provectus non solum *vitalis* (§. 66.) superfuit, sed eo usque

Vivax expersque sepulcri. Ovid,



Ita ITALUS fratrem suum sub sterno ex corpore suo pendentem per 27. annos in fascia circumtulit. vid. HELLWIGII *observ. nro. 16.* Ita monstrosus iste HUNGARICUS per iexennium fuit superstes. vid. ETTMULLERUS, *filius*, in *Diff. de monstro Hungarico bicorporeo.* Ita gemellæ ad cocciges connatæ ad 21. annos usque juxta COMM. LIT. NOV. 1736. *hebd. 3.* ex BELIO; ita pectoribus implexæ l. cit. 1743. *hebd. 8.* ita, quæ pelvibus coalitæ cohæserunt similesque, ut habent PINCET apud LICET. *de monst. L. II. p. 114.* DUVERNOY *Mem. de l'acad. des sciens. 1706.* diutius superfuerunt vivaces. Ita connatos gemellos octo annorum recenset RUYSCH *Advers. II. n. 10.* Ita Virum bicipitem Madriti pro spectaculo olim circumgestabant. vid. MARTINEZ *libell. quem HLL. de HALLER* recudi curavit in *Disp. select. Tom. II. Disp. p. 2.* Multo frequentiores sunt vivaces foetus, quibus partes duplices fuerunt, ut nostræ puellæ. Aliæ similes historiæ leguntur apud ETTMULLER l. cit. BARTHOLINUM *cent. I. obs 66.* aliosque, quas pro mira sua literatura in compendio ob oculos ponit indefessa industria HALLERIANA in *opusc. anat. 6. §. III. (9) p. m. 157. seq.*

§. 69. *Monstrosa corpora* (§. 45.) porro (§. 46, 66.) sunt: vel *perfecta*, vel *imperfecta*. Sin enim juxta verissimum Metaphysicorum assertum *omne ens est perfectum*, perfectio certe etiam cadet in monstrosa & quæ *imperfectissima* dicenda sunt, erunt nihilominus *perfecta*, ut *perfectissima* contra maxime *imperfecta*, quoad *monstrosa* fabricæ, tam qualitatem, quam quantitatem, prout nempe utriusque fuerit respectus, *relatio* vocatur quoque, utut minus latine, *technice* tamen. Hæc sat intelligenter docent, quibus nominibus *perfectiora imperfectiorave* sint dicanturque *monstrosa*. Nec obscurum est, *imperfectius* esse monstruosam ideoque longe *perfectiorem* puellam, quam describimus, tripedem, quam *tripes* iste plane *duplex*, cui duplex fuit, eaque integre ab ore usque ad anum distincta, interaneorum series, teste RZASZYNSKI in *hist. Polon. p. 353.* Posteriori similes historias, stupendâ denuo solertiâ, undique congestas & mirâ dexteritate in ditissimum coactas

coactas compendium lege apud literatissimum v. HALLER.
l. cit. §. 4. n. 20. p. m. 162. & sequent. Quem in modum ibi-
dem idem vir laboriosissimus hac Historiæ naturalis parte præ
aliis nos recentissime ita locupletavit, ut unico hōc illius libellō
possis lucrari, quo forte carere debuisses ob sumtum & la-
boris amplitudinem. De reliquo ex dictis patescit, quodvis
monstrum, quo est *perfectius*, eo idem in suo genere, vel
sua specie, esse *imperfectius* vitale. Aliud vero esse, semper
cogitemus, *genus* vel *speciem* vitalis in se spectati, aliud con-
tra denotare *genus* vel *speciem* illius, qua monstri.

§. 70. Præterea (§. 69.) monstrosa alicujus corporis
fabrica alia est *connata*, à nativitate illata; alia *adventitia*,
post nativitatem accedens. Omni igitur caret dubiō omnia
monstrosa recte inde dividi in *nativa* & *adventitia* seriusque
effecta. Multa nascuntur vitalia corpora à virtute formatrice
non deformata, quæ nata postea demum multis modis red-
duntur insigniter abformia, vel morbis, vel morborum arti-
ficibus, vel aliis infortuniis. Ita *gibbosos*, *varos*, *valgos*,
scrophulosos quis non dixerit deformatos & à consueta fa-
brica alienos? Quicunque vero ita se habent, aut aliquid *mon-*
strosi alunt, aut melior monstri nostræ (§. 45.) substituenda
est idea. Hinc FORTUNATUS FIDELIS *de relationibus Me-*
dicorum ne quidem *maciem* enormem, *obesitatem* nimiam, *ci-*
catrices aliasque, *faciei* maxime, *maculas* eximit. *L. II. c. 2.* di-
cens: *Macies* quoque corporis atque *obesitas* justæ magnitu-
dinis decus imminuit; nam qui nemis obesi sunt, majores
æquo esse æstimantur: qui macilenti, minores. *Et l. c. cap. 5.*
Ergo cui *macula in oculo est*, qui *gibbosus*, *distortus*, aut *clau-*
du existit, aut *sex* habet *digitos*, merito & deformis notatur
ac sacros ordines suscipere propterea inhibetur. De *cicatri-*
cibus ibidem integra habet capita suis. *c. 7. 8. & 9.* MELE-
TIUS *Lib. de nat. hom.* ubi de naso, hæc, inquit, pars, præ
ceteris hominis faciem formosam deformemque maxime red-
dit. VIRGILIUS *Æneid. VI.* ita concinit:

*Atque hic Priamidem laniatum corpore totō
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora :*



*Ora manusque ambas : populataque tempora raptis
Auribus, & truncas INHONESTO vulnere nares.*

Inde nominetenus cognoscimus eas, qui v. gr. vulneratis turpissimas relinquunt *cicatrices*, fracta luxataque non debite reponunt, vel reposita in situ suo retinere nesciunt, *Chirurgastros* digitò monstro, monstrorum, phy! scilicet egregios &, proh dolor! adeo hodie frequentes artifices, qui non nisi in Republicæ tolerari possunt detrimentum.

§. 71. Monstrositas à nativitate talibus (§. 70) accensendam esse præsentem puellam, nil attinet pluribus dicere. Plures quam dictas (§. cit. & 59. 60, 69.) esse monstrorum varietates & inde petendas, in solidiori de istis doctrina, divisiones, ex dictis conjicere, haud est difficile. Istas vero omnes hic evolvere, à scopo foret alienum, quem juxta eas tantum attingere licuit, quarum aliqua heic fuit applicatio. Plenior eorum consideratio ad abstractam de *monstris* doctrinam spectat, quam hic ex parte applicatam ostendere, in animo habui. Ex qua specialiori nostra intentione æstimanda quoque sunt ea, quæ hinc inde quibusdam rigorosioribus censoribus ita comparata videri possent, ut egregie potuissent omitti.

§. 72. Ex omnibus igitur præstructis ad propositam secundam (§. 55.) quæstionem succinctâ repetitione hanc colligo responsum: *E. dicta* (§. 33, 34.) *tripēs monstrositas propriè dictis* (§. 58.), *humanis* (§. 60.), *compositis* (§. 62.), *sed viviis individui vitam viventibus* (§. 64.), *vel homo- vel heterogeneis* (§. 65.), *vivacibus ideoque juribus & ecclesiasticis & civilibus gaudentibus* (§. 67.), *imperfectis* (§. 69.) & à nativitate talibus accensenda est.

§. 73. Quod hætenus dixi, parum, haud inficior, habuit, habebit multo plus difficultatis dicere, cujus originis sit hæc monstrosa? an divinò opere, vel mediato, vel immediato? an fatò? an casu nata? & quæ sunt reliqua. Verum de his in proxima, quæ hanc excipiet, dissertatione. Præsentis hic esto

FINIS.

NOBI-

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
DOMINO
CANDIDATO

P. P. D.

P R A E S E S.

Multa esse *videntur*, quæ non sunt & *sunt*, quæ non videntur &, quæ sunt, *ut sunt*, non esse *videntur monstra*. Repeto, quæ à limine hujus scripti jam dixi. Sed iisdem verbis eadem non dico. *Figurate* hic loquor. *Monstra* volo, non *physica*, ut ibi, sed *logica* (§. 48.), & *academica*, & *alia*, & *publica* & *privata*, & *impressa* & non *impressa*, cognitionis puto & quæ à fomosa *eruditionis* effigie, quocunque, vel *qualitatis*, vel *quantitatis*, modo, abludunt. Propiori adplicatione & *abstractio* in *concretum* versò, rem urgeo. Multi esse *videntur*, qui non sunt & *sunt*, qui non videntur &, qui sunt, *ut sunt*, non esse videntur, *spurii nominis Eruditi* & speciatim cognomines *Medici*. Propositio hæc admodum implexa quidem est, sed explicatu facilis. Explicatio & applicatio ejus, per genera, per species, per individua, vel tectis nominibus, vel nominetenus, instituenda, ubique ampla, immo quam amplissima, est nec hujus loci. Paucula attingam. Multi *sunt* nec videntur bonæ notæ, ex aliorum, vel *ignorantia*, vel *invidia* & *maledicendi* solemniori *consuetudine*. Sunt nec videntur peioris notæ ejusmodi creaturæ, academicæ aliæque, ob aliorum iterum *insciam*, ob *præjudicia*, ob *Nepotismi* lepidam tutelam, ob *titulos*, ob *munera*, quibus aliis per *speciem* superiores, reapse inferiores, existunt, ob ipsorum denique adeo scilicet! excellentem celebritatem, quam habent ab ingenita velut, vel *Pedantismi*, vel *Charletaneræ*, prærogativa, *populari aurea* mirifice blandiente. Multi præterea, qui sunt, *ut sunt*, non esse, videntur vel *veri*, vel *spurii*, *nominis Eruditi* & speciatim ejusdem nominis

Me-



Medici. Justum est suum cuique tribuere & ex æquo metiri suos aliorumque, & profectus, & defectus. *Justam* vero cognitionis capere *mensuram*, res sane vehementer difficilis est & altioris indaginis, ac ii vulgo putant, qui *Eruditorum æstimationem* sibi sumere non verentur. Ejusmodi *quantitates intensivas, absolutas & respectivas* inque istis occurrentes *equalitates, inequalitates, majoritates, minoritates* &c. dixi in *Pantom. Erudit, Sect. II. art. I.* Ibidem quoque annotavi *Eruditorum quantitates negativas*, quæ sunt: vel *imperfectæ*, vel *perfectæ*, vel *plusquamperfectæ*, *transcendentes* aliàs dicunt, unde haud inepte distinxeris *Eruditos, negative spectatos*, in *Eruditos defectus imperfecti, perfecti, plusquamperfecti, simplicis & compositi*, prout nempe pauciores pluresve ejusmodi *quantitates* negantur & velut unà cum suis, quibus in hærent, *subjectis* è *positivorum* medio tolluntur. In *plusquamperfecto* enim illud ipsum occurrit, quod vocant *nihilominus* & quod rectius dixeris, *nihilum majus*, quoniam *unntas nihili* est *minimum nihilum*. Non de *nihilo* est TUA, NOBILISSIME Dn. CANDIDATE ! eruditio. Comprobasti eam ordini nostro in examinibus TUIS, laudabiliter exantlatis. Et, ut rebus medicis, *theoretico-practicis*, ante ista navasti operam, ita post ista praxin ipsam sub auspiciis felicioris inter nos *Physici Pfullingensis* Dr. MANN viriliter hucusque exercendi nactus es occasionem, ut TIBI soli relictus non amplius opus habeas *prima per mortes facere experimenta*. Ingenii animique dotes TIBI à DEO concreditas esse, ad res TUAS agendas, prævalentes, nemo nescit, qui TE cognitum habet. Utere istis in TUA, in ægrorum TUORUM, commoda. Perge eo, quo ad finem perduxisti studiorum TUORUM curriculum tramite. Hisce, non monitis, sed precibus, ad omnis salutis nostræ Satores statoremque fufis, TE dimitto & a subselliis nostris ad lectos ægrotorum abiturum saluum esse volo & ab omni parte beatum,

è Museo d. 7. Nov.

1755.



PRÆ-



PRÆNOBILISSIMO atque DOCTISSIMO
DOMINO
CHRISTOPHORO FRIDERICO
LIESCHING,
MEDICINÆ LICENTIATO DIGNISSIMO
ΕΤΧΑΙΡΕΙΝ καὶ ΕΤΙΠΑΚΤΕΙΝ
D. CHRISTOPHORUS DAVIDES MANN,
Opponens.

Consuetudinem integerrimam suavissimam, Venerabilem atque Clarissimum Dn. FRATREM TUVM inter ac me, familiarissime firmissime, que stabilitam, animum meum intra proh dolor! morrariorum pharmaceuticorum clangores, pyxidumque rumores misere depressum, dulcissime erexisse, dum fidelissime heic loci operas præstaret vicarias, non possum quin publice tester; Haud minus profiteor Te & amicissimum consalinum, & in medico - practicis, æque ac chemico - pharmaceuticis habuisse sincerissimum συγγενον. Hinc memoriæ, non nolui quædam tradere Tue, partim communicata discursu, partim ipsa pertractata Tecum; ANIMADVERSA PHTSICO - MEDICA OBSERVATAQUE PRACTICA brevissime licet sciagraphica serie tantum; PHTSIC. *Nuglandes* ad *ECHAZ* fluvium copiosissime & numerosissime proveniunt, cur ad *Nicrum* non, præsertim prope *Tubingam* similiter? De *spelunca nebulosa*, *Baumannianæ* simili, quid infra & supra eruere potuerit? (memini *montis Ursulani* portentum spectrolo(u)gicum, *Brostha* dictum; narratiunculam simillimam habet *Job. Stumpff* in *Chronica Helver.* Permulta perpulchraque *Petrefacta* vegetabilia vidisti in *Taugsteinen*; Quæ ratio, *cortinam piscinalem* super ignem frigescere? pariter *adherentem fuliginem* sartagini, imminente pluvia, candesceri? addo: *Cineres clavellatos* depuratos siccissimos asservavi in *vitro saccharino*, charta leviter tecto in hypocausto, ex inopinato percrescens divellebatur, in aliud recondidi vitrum eodemque eventu, (aliàs *Salia* non agunt nisi soluta;) *Superfoetatio* in *raphano*. ANATOMICO - PHTSIOLOGICA. *Lienulum* perfectum magnitudine *nucis avellanæ*, supra ordinarium positum in *filiolo IV. annor.* Pari modo in *viro XXX. annor.* *Scorbuto* vero extincto *Splen* mole *pomum*
F bors-



borsdorffiens. æquans, quasi *succenturiatum* reperi; hic *addidisse* naturam, eandemque vero & *subtraxisse*, offendimus in infante, in quo ne vestigium *omenti* apparebat. *Aug. Vind.* ex ore D. D. GEIGER percepi, absentiam *hepatis* plenariam in neonato. Misello in tenellulo Bezingæ nobis oblato, in utroque oculo, *catarracta* candore eboris adparente, ciliares *iridis* processus una cum adhærente *liquore nigro* plane deficiunt, instarque polyedri vitri multipliciter objecta repræsentant. *Partus hydropicus.* HTG. *Idiosyncrasiâ* ridiculâ mire vexabatur ancilla mea, etenim, quodsi braslicam murtaticam una cum globulis farinariis ederet, rejiciebat statim vomitu, secus seorsim. *Ratisbonnæ* novi pharmacopœi uxorem, odorem *rosarum* naribus obturatis reformidantem, aliam alibi *pomorum Saporem.* PATHOLOG. SEMIOTIC. *Calculi felleis* in vesicula, pathognomonicum signum pariter ac *vermium* an detur infallibile? *illorum* XXVII. in virgine motibus terrificis convulsivo-hystericis diu vexata, apoplexia serosa tandem defuncta, reperi; *horum* filiola V. annor. intra aliquot dies ultra CC. equidem una sede LX. longitudine Spithamæ horrendis sub torminibus dejecit. *Aqua ex utero vacuo* profluens num prodromus imminentis vel incipientis hydropis uterini? *Corruptionem humorum* universalem prodidit livor obducens scalpella *Tua*, quibus Ehningæ in hierocomio *puellam* secavimus, ubi & *aliam* cultro subjecimus, ex cujus pulmone dextro duo frustra materiæ ossæ medicæ abstulimus. (Ibidem uterum hydropicum.) THERAP. GEN. *Phlebotomiæ* num & quando præmittendus *purgantium* usus? prophylactice scilicet, doctissime expendit B. S. SCHAARSCHMID. Inter *specificæ*, præcipue in ancipiti casu, verissimum *Eff. pimp. a.* in angina notha. *Antihydropsici* arcani pretiosi effectus frustraneus, quin immo sinister. De *panaceis* sincerime testatus est B. CARL. MAT. MED. *Gumm. gutt. Jalapp.* ejusque *resina, scamon. Trochisc. Alband.* De hisce & similibus communes positiones heic loci minime quadrant. *Rad. Pæon.* Divo HOFFMANNÔ splendere, JUNCKERO dubiæ fidei, aliis suspectæ, simulac adeo multa remedia incerta redduntur, pessime quidem, optandum vehementer, ut, quoad fieri posset, *Experientia* magistrarum sufficientissima controversiæ odiosa perniciosæ execrarentur. CHEM. *Sodam* à magno NEUMANNÔ opificibus, saponariis relictam, longe majoris utilitatis esse, *Sal polyebrestum de Saignette*, ante XXIV. annos juris public. fact. ad omnes sensus testatur, hoc ille minime detexit, neque perspicendum, B. SCHULZE non involvisse, & quod magis Dn. STRUMPEF latuisse,

qui



qui per plures annos in officinis pharmaceuticis commoratus ; vid. *Chemische Versuche. Pharmac. Württemb. 1741. Dissert. Jenens. 1742.* Macquer. *Nitrum antimoniac.* cur adeo maledice NEVMANN vitilitigârit, non strepitus tanti videntur ; Aliis, BOERHAVIO ampli bonique usus. *Oleum æthereum fragrans pingue*, casu ex spiritu vini purissimo simplici vetusto proventum, vidisti, & *cinnabr. factit.* particul. *adherente* in medio globulo *mercur. viv. phialam* obstruens, fragore tonitruante *diruptam* ; n. aliud mirum phenomenon. *Antimon. cinnabr.* instituimus operationem, & uti prædixi, antimon. pondus sub prelo exsudasse, interim jucundo obsedit spectaculo cinnabr. mere. sublim. superfl. *Mater perlat.* ex improvise *martial. fact.* FORMUL. Quantum gulæ *hisce* indulgendum odioso - operosum sæpius, *sesquipedales*, experientissima *Doctor Erxlebia* cum Werlhoffio omnino vituperat. Cæterum *has* concinne & rite præscribendi, *Ars pharmaceutica* admodum medico *præctico* necessaria. PRAXIS UNIVERS. *Limbolarius* quidam nunc LXXarius, ante decennium per XXV. ann. jam *Spleneticus*, correptus *Dysenteria maligna* cum *purpura alba*, insigni *oedemate* pedum, *deliriis Lipothymiis*, simul *paroxysmis tertiana* legitimæ, decumbens *evasis*, hætenus vigens. *Rustica* quædam *Hydrope* universali manante, furis profunde *Sphacelaris*, facie *hippocratica*, anhelitu moribundo, colluctans, *emersit*, aliquot post septimanas, cibos marito in agrum portabat, casum similem expertus est Dn. Dr. JÆGER. N. Ph. *Mercenarium* heic loci ipse solus visitasti, *acuto* laborantem morbo, perversis stipato symptomatibus, *hemorrhagia* narium, eaque enormiter tumultuaria solutum ; longe ex turbulentiore statu, *Diarrhœis Lipothymiis* & c. eluctata ejusdem uxor. Addo hisce : *Proplem.* Sanis, ut videntur, ex parentibus VIII. jam *liberi* nati, adpectu sani, singuli iisdem circumstantiis, primis septimanis, legitimo regimine solícite tractati, *interiêre*, causæ an ex utero, aut extra illum ? *Mulier*: decem post partum hebdomades *hydrope* singulari extinct. cujus mesenterium copiosa *pinguedine* refertum, ichore inundatum *putidissime* sanioso, in toto corpore ne unicus globulus *crucis* conspiciebatur, vix ac ne vix in cordis ventriculo restabat rubicundi quid coaguli, & uteri musculus in fundo aliquot stigmata, omnia viscera, & hepar, lien renesque pallida quasi *decocta* adparebant, quodsi cadaver versum fuisset contenta cuncta cum nervulis & vasculis intercostalibus & spinalibus prolapsa essent, consui cutis poterat vix. *Vetula*, abdomen



domen per plures annos tumidum gestabat, hoc apertum nil præter sentinam
 sistebat terribilem, qua per inclinationem effusa, vix adhuc frustulum duodeni
 ventriculo, & recti ano affixum supererat; illa sine sanguine, hæc sine inte-
 stinis vixit. *Parturiens* prima vice, aspectu floridissima, repentino suffocata,
 in sectione cor infarctum polypo, & secundinæ non fundum, sed anteriorem
 superficiem uteri occupantes detegebantur. EXEMP. TRAG. *Morsus canis*
rabidi, aliquoties obveniebat, alii ferro quicri, alii ad claves dæ-
 moniacas cujusdam, (contra officium & religionem) suasu perciti.
 Noctamb. mirab. peric. *Aerem microcosmi factitium*, uti eum de-
 scripsit atque explicavit B. D. D. HOFFMANN. in *Lapsa* observavi, arnicæ
 decocto feliciter curata; huc refer. *Puerum* XIV. annor. febre per medica-
 strum suppressa, ita *inflatum*, ut nasus intra buccas vix promineret, & penis
 Cylindrum culinarem æquaret, adhibitis congruis remediis perfecte restitutus.
 CHIRURGIC. De *phlegmone* aliquot casus tenes, præsertim in *juvene* quo-
 dam, in quo cutis dextri fœmoris braccarum instar elevari potuit. *Panari-*
tium, ex causa menstrua cacoëtheum, evulso osse sanatum. *Glandul.* saliv.
 ovi columb. magn. *filiceo - petrefact.* *Carcinom.* horrendum in tibia magn.
 mur. cortic. quern. text. sanat. *Uvula* descensus, in me ipso, usque in Oe-
 sophagum & intra dentes vagant. *Fractur.* fœmor. dextr. in bienni diffi-
 cilius tractand. nuperrime experti sumus. Abominab. *crust. lact.* cum Phtiriasi,
 funditus, æque ac detestabilem *lepram* radicitus persanat. Dantur interim
Oehlschenckel perplures. *Ulcera*, antiq. fistulos. inveterat. sinuos. a prima
 juventute post variolas, & s. p. multoties *damnum* inferunt permanens, ex-
 empl. exitial. *luctuosa* mihi, in duobus fratribus *german.* Alter febre inter-
 mittente *maligna*, vid. Schaarschmid, alter Pthisi consummata obiit n. septic.
 futor. quibuscunque adplicatum. acutissimos dolores excitavit. *Phlebotomare*
 decet medicum posse. FORENS. s. LEGAL. In monte *Achalm* secavi, bom-
 bardâ explosâ à germano suo trucidatum præter XXXII. *vulnera* in capite &
 collo, maxilla superior sinistrorsum & particula Epiglottidis suprema demta
 erat. *Impotentia* aliquando respectivâ tentatus, fœcundo jam jam lætoque
 matrimonio viget. *Puellam*, ex statu verminoso convulsivam, *ecstaticam* fa-
 ctitiam, ornatiss. Dn. *Melm* mecum visitavit. Isidem *Puer* pro *incantato* ha-
 bitus. Circulator ille, ex *lixivio* Tartar. vitriol. pariter lictor vicinus ex
musto pyror. *Uromanta.* *Recutitus* ante triennium hic grassans, cuidam *tym-*
panitica suasit, abdomen inungere *semine* virili. Abort. ætat dub. ex adulte-
 rio. Pharm. Württ. ordinat. constit. medic. &c. præfat. fol. 2. p. b. l. 30.
 pagella plura vetat. Restat, TIBI ut gratuler, gratulor enim TIBI vere &
 ex animo felices successus, adnuat cœptis DEUS, in gloriam nominis sui,
 commodum TUUM, aliorumque salutem, vale rectissime iterumque vale &
 fave. Ded. ex *ἡμετέριω* Id. Oct. MDCCLV.



Fig. 1



Fig. II



